



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

258. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

nem mercantur orationum. Post quinquennium, id est, post viginti annos, oblationis sacramenta contingant. Quotquot autem post viginti annos ætatis, uxores habentes, in hoc peccatum prolapsi sunt, viginti quinque annos pœnitentiam agentes, ad orationis communionem recipiantur. Et post quinquennium iidem post triginta annos communicent.

Halitgar. lib. 4. c. 7.
Burchard. lib. 17. c. 30.

De eadem re. *Ex eodem Concilio.*

CCLVI. Eos qui inrationabiliter vixerunt, & lepra iniusti criminis alios polluerunt, præcepit sancta synodus inter eos orare qui spiritu periclitantur immundo.

Concil. Ancyr. c. 16.
Lib. 7. Capitular. c. 273.
Halitgar. lib. 4. c. 8.
Burchard. lib. 17. c. 31.

De eadem re. *Ex lib. 1. Capitularium, cap. XIX.*

CCLVII. Si inventi fuerint qui cum quadrupedibus vel masculis contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia coercendi sunt. Quapropter Episcopi vel Presbyteri, à quibus iudicium pœnitentiæ injungitur, conentur omnimodis hoc malum radicitus abscidere.

Lib. 1. Capitular. c. 49.
Burchard. lib. 17. c. 33.

De eadem re. *Ex dictis Basilij.*

CCLVIII. Clericus vel monachus adulescentium vel parvulorum insectator, vel qui osculo vel aliqua occasione turpi reprehensus fuerit, publicè verberetur, & coronam amittat; decalvatusque turpiter, sputamentis obliniatur in facie; vinculisque arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustia maceretur; & triduo per hebdomadas singulas ex pane hor-

Burchard. lib. 17. c. 35.

deaceo ad vesperam reficiatur. Post hæc, aliis sex mensibus sub senioris spiritualis custodia segregata in curricula degens, operi manuum & orationi sit intentus, vigiliis & fletibus subiectus, & sub custodia semper duorum fratrum spiritualium ambulet, nulla privata locutione vel consilio deinceps juvenibus conjungendus.

De eadem re. *Ex dictis Isidori.*

Burchard, lib.
17. c. 36.

CCLIX. Si quis ex juvenibus vel aliqua suspiciosa persona cum parvulis jocaverit, diuturna pœnitentia maceretur.

De eadem re. *Vnde supra.*

Burchard, lib.
7. c. 37.

CCLX. Si deprehensus fuerit aliquis frater ludere cum pueris & habere amicitias ætatis infirmæ, tertiò commoneatur ut memoret honestatis atque timoris Dei. Si non cessaverit, severissimè corripatur.

De eadem re. *Ex Lege Theodosiana,*
lib. IX.

Interpret. l. 6.
Cod. Theo-
dos. De adul-
teris.
* *Editio Hel-
mestad. con-
stitueret & ad-
al.*

CCLXI. Omnibus flagitiosum est virile corpus muliebriter * constitutum alieni sexus damnare patientiam. Nihil enim discretum videntur habere cum feminis. Hujusmodi scelus spectante populo flammis vindicibus expiabis. [*Editio Helmestad. expiabant.*]

De copulatione fidelium. *Ex Concilio*
Vvormaciensi.

Concil. Vvor-
mac. c. 31.
Lib. 5. Capi-
tular. c. 89.

CCLXII. In copulatione fidelium generationum numerum non definimus; sed id sta-